


05

A

603





N
D
∞



MYSTERIUM S.S. ¹¹/₂

TRINITATIS A FIDE.
LIBUS SUB VETERI TESTAMEN-
TO COGNITUM,

Adspirante S. S. Triadis Numine,

In Inclvta Wittebergensium Academia,

SUB PRÆSIDIO

VIRI ADMODUM REVERENDI, AMPLISSIMI,

ATQUE EXCELLENTISSIMI,

DN. JOHANNIS SCHARFII,

SS. Theolog. Doctoris & Professoris Publici

celeberrimi, Alumnorum Electoralium Ephori,

Dn. Patroni, Præceptoris & Promotoris

sui omni animi submissione ætatem

colendi,

Propositum & propugnatum


à

M. JOHANNNE Deutschman

SS. Theol. Stud.

die Martij boris matutinis

In auditorio majori



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typog.

ANNO MDC L.

V I R I S

Generosâ Nobilitate, Magnificentiâ, Perquam

*Reverendâ Dignitate, Amplissimâ Autoritate, Divina & humana Sapientia-
splendore, rerumq; usu & Consiliorum Dexteritate longè*

Præcellentissimis

Proto-Synedrij Ecclesiastici Electoralis, quod

Dresdæ est Dn. Præsidenti & Dn. Consiliarijs

eminentissimis

Dn. FRIDERICO à METSCH in Reichenbach

& Friesen &c: Toparchæ, S. Cæsar. Majest. Consiliario Gravissimo,

Ejusdemq; Imper. Rom. Archithesaurario Fidelissimo, nec

non Sereniss. Electoris Saxon. Consiliario intimo &c:

Dn. JACOBO WELLERO S. Theol.

Doctori incomparabili, Sereniss. Electori Saxon. à Confessionibus

& Consilij sacris atq; Concionibus aulicis primarijs &c:

Dn. ÆGIDIO STRAUCHIO S. Theol.

Doctori celebratissimo, Ecclesiæ Dresdensis ad D. Crucis Pastori

meritissimo, nec non vicinarum Superintendententi vigilantissimo &c:

Dn. FRIDERICO TUNZELIO Jcto Am-

plissimo, Sereniss. Saxon. Electori ab Appellatio-

num Consilij &c:

Dn. JOHANNI LUDOVICO COPPELIO

J. U. D. Clarissimo, Sereniss. Electoris Saxon. itidem Consilia-

rio eminentissimo &c:

Dominis Patronis & Promotoribus summis

summè colendis

Hanc disputationem Theologicam In sui commendatio-
nem, suorumq; Studiorum Promotionem

Submissè atq; humiliter

Offert & Consecrat

Resp. & Aut.

M. Johannes Deutschman Jutreb-
ocensis Saxo.



05 A 603



Um maximè periculosum sit de DEO
etiam vera dicere, *secundum Cyprian. in Symb. &*
sine Deo non cognoscatur Deus, ut verè pieque
pronuntiat *Iren. l. 4. adv. heres. c. 14.* quia à Deo
discendum est, quid de Deo sit intelligendum,
qui non nisi se autore cognoscitur, *teste Hilar.*
l. 5. de Trin. ideò meritò in frontispicio hujus
disputationis ex Alcuini hymno sic precamur: *Adesto lumen ve-*
rum, Pater omnipotens Deus. Adesto lumen de lumine, Verbum & Fi-
lius Dei, Deus omnipotens. Adesto Sancte Spiritus, Patris & Filij con-
cordia, Deus omnipotens. Adesto Deus unus omnipotens, Pater, Filius
& Spiritus Sanctus. Hanc fidem in te, per te, de te confitemur. Te
unum in substantia, trinum in personis confitemur. Pater, Filius &
Spiritus S. ó beata Trinitas, Deus, Dominus, Paracletus. Caritas, Gra-
tia, Communicatio. Genitor, genitus, regenerans. Verum lumen, ve-
rum lumen ex lumine, illuminatio. Invisibilis invisibiliter, visibilis in-
visibiliter, invisibilis visibiliter. Fons, flumen, irrigatio. A quo, per
quem, in quo omnia. Vivens vita, vita à vivente, vivificator viven-
tium. Verax Pater, veritas Filius, veritatis Spiritus. Una essentia,
una virtus, una bonitas. Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine
quo nihil. Deus sub quo totum, in quo totum, cum quo totum. Te in-
vocamus, te adoramus, te laudamus. Doce fidem, excita fidem, infunde
caritatem, Amen. Hisce præmissis ad ipsam tremendi hujus my-
sterij ἐγχαρίαν accedimus, Deo ducente, & dirigente nostras ope-
ras unicam tantum quæstionem consideraturi nimirum

An Fideles sub V. Testamento SS. Trinitatis
mysterium cognoverint?

I. Varia quidem de proposita hac quæstione sunt hominum,
præsertim contentiosorum, judicia, veram tamen & orthodoxam
hac vice sententiam confirmare & illustrare unicè placet, quod ut

A 2

ordine

ordine aliquo à nobis fieri videatur, tria potissimum paulò accuratiori scrutinio perlustrabimus. Proponemus igitur in sequentibus. I. *Terminorum explicationem*. II. *Status constitutionem*. III. *Sententiæ nostræ confirmationem*.

II. Primum disputationis hujus caput Terminorum evolutionem continet, quorum duo in præsentî quæstione occurrunt, *Subiectum sc. & Prædicatum*. Subjectum quod concernit, non illud omnes homines, sive pij sint, sive impij, sive intra sive extra Ecclesiam viventes, continet. Nam notum est, quod in V. T. angustiis Palæstinæ terminis Ecclesia fuerit inclusa & terminata, exceptis paucis profelytis, qui singulari Dei gratiâ ad Ecclesiæ doctrinam vocati & conversi sunt, reliqui autem gentiles in densissimis tenebris & ignorantia profum damnabili vixerunt, unde Apostolus *Eph. II. 12.* scribit, quod fuerint *à Deo sine Deo, & Gal. IV. 8. eos ignorasse Deum* (respectu sc. salutaris ac salvificæ notitiæ Dei Trinitus) *Act. XVII 30. vixisse in temporibus ignorantia Rom. X. 14. de Deo non audivisse*. De his igitur facile concedimus, eos veram & salutarem Trinitatis cognitionem neutiquam habuisse. Quamvis enim multa & præclara Ethnicorum dicta à multis recenseantur, tamen in verbis tantùm cum orthodoxa & sana Trinitatis confessione consentiunt, in verborum autem istorum explicatione ac sensu omnem convenientiam amittunt, sicuti de gentilibus, eorumque de Trinitatis mysterio testimoniis rectè scribit Ludov. Vives l. 2. de verit. fid. Christ. c. 2. *Si quid de Filio* (adde etiam de Trinitate) *dicebant, loquebantur magis, quam quid loquerentur sciebant vel intelligebant*. Deinde non de quibusvis in Ecclesia viventibus sermo est nobis: multi enim fanatici & Epicuræi homines vivunt in ipso Ecclesiæ gremio, qui nullam salutis suæ rationem habent, adeoq; parum de divinâ Trinitatis cognitione sunt solliciti, sed illud Sardanapali symbolum tanquam vitæ suæ regulam arripiunt; *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*. Sic & multi externâ quidem facie mentiuntur quandam pietatis speciem, & visibili Ecclesiæ cætui se associant, non tamen sunt viva & vera Ecclesiæ membra. Non enim existimandum est, omnes homines in Ecclesiâ viventes statim esse verè fideles, sed visibilis Ecclesia præter Electos & verè fideles, etiam hypocritas & impios complectitur,

stitur, unde ab ipso Christo comparatur *agro*, in quo & bonum
semen & zizania seminantur *Matt. XIII. 24. sagena*, quâ & boni &
mali pisces capiuntur v. 47. Hinc nota est distinctio interesse in
Ecclesiâ & esse de Ecclesia: quemadmodum enim Christus *Job.*
XVII. 14. de suis discipulis inquit, quod sint in mundo, non autem
de mundo, i. e. quod quidem visibiliter in mundo conversentur,
sed mundi malitiam & incredulitatem non amplectantur: ita
quoq; multi vivunt in Ecclesia, i. e. fruuntur externis Ecclesiæ bo-
nis & simulant se fideles, sed tamen non sunt de Ecclesiâ, h. e. non
habent interiorem fidem & charitatem efficacem. Quando igitur
in quæstione dicimus: An fideles V. T. mysterium hoc cogno-
verint; per fideles hos, nequaquam omnes secundum carnem.
Israelitas notatos cupimus: quis enim tantâ temeritate hoc
ipsum affirmare præsumeret, omnes V. T. homines dogma Trini-
tatis cognovisse, cum nec hodie in N. T. sub splendidissimâ Evan-
gelij luce omnes, qui externa Ecclesiæ membra sunt, id ipsum
agnoscant? sed intelligimus sanctos & verè fideles: hi enim &
potuerunt & debuerunt illius dogmatis cognitionem habere,
aliàs ad salutem æternam pertingere minimè potuissent. Tandem
non de fidelibus omnium seculorum, sive N. sive Veteris sint Te-
stamenti h. l. dissertationem instituemus, sed de iis solummodò
qui ante Christum natum sub prisco fœdere in Ecclesia Israëlitica
vixerunt, hos enim particula illa in quæstione adjecta, *Sub V. T.*
temporibus & fidelibus N. T. contradistinguit.

III. Prædicatum agit de cognitione Dei Trinunius. Scholasti-
ci cognitionem Dei in *comprehensivam* & *apprehensivam* distingunt:
Illam dicunt, quâ Deus perfectè cognoscitur, ita ut nihil sit in Deo,
quod non exactè cognoscatur; sed nulli creaturæ talis cognitio
competit, neq; Angelis, neq; hominibus, soli autem Deo est pro-
pria: Deus enim seipsum perfectissimè cognoscit per seipsum,
quia aliàs summè perfectus non esset, si seipsum ignoraret, hinc
Paulus *Rom. XI. 34.* inquit: *Quis mentem Domini cognovit?* nemo
sc. præter seipsum. Sic Pater perfectissimè cognoscit Filium,
quem ab æterno per essentiæ communicationem ineffabilem ge-
nuit, & Spiritum S. qui ab eo & à Filio æternâ & imperscrutabili
processione egreditur. Filius etiam *comprehensivè* (quatenus

comprehendere non significat aliquam inclusionem finiti, sed idem est quod perfectissimè cognoscere) cognoscit Patrem cuius perfecta & essentialis imago est Col. I. 15. & Spiritum S. quem unà cum Patre ex intimo unius essentiæ ore spirat: hinc de Patre & Filio dicitur *Matth. XI 27. Nemo novit Filium nisi Pater: neq; Patrem quis novit nisi Filius* (perfectissimâ illâ & comprehensivâ notitiâ) Sic etiã de Spiritu S. eadem dicuntur *I. Cor. II 10. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei & v. 11. quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Hanc verò apprehensivam describunt, quâ non omnia comprehendendo, sed quædam saltem apprehendendo de Deo cognoscuntur, quæ creaturarum propria. Sed respectu hominis eam in *intuitivam & abstractivam* distinguunt: illa futuro seculo reservatur, quâ Deum clarè & perfectè (perfectiorem intellige non absolutam, sed certo modo limitatam, qualis sc. in homines cadere potest) cognoscemus *sicuti est I. Job. III. 2.* nam ibi plenè & perfectè intelligemus ea, ad quorum notitiam in hac vitâ penetrare non possumus, quomodo sc. Deus sit in essentia unus, in personis trinus, quomodo Filius Dei ab æterno à Patre sit genitus, quomodo Spiritus S. ab æterno à Patre & Filio procedat, quare Filius Dei, non Pater, nec Spiritus S. humanam naturam assumpserit &c. Tunc plenè & perfectè cognoscemus causas consiliorum & operum divinorum, creationis sc. redemptionis &c. & quæ alia in Deo, veluti in limpidissimo & splendidissimo speculo secundum modum hujus intuitivæ notitiæ & beatificæ visionis à nobis conspicientur. *Abstractiva* cognitio Dei est, quâ quædam non intuendo sed abstrahendo, gradu longè inferiori de Deo cognoscimus, quatenus sc. Deus vel ex libro naturæ vel scripturæ nobis innotescit, unde vulgò eam in *naturalem & revelatam* distinguere solent. *Naturalis* nominatur, quia omnium hominum mentibus naturaliter insidet, & ex operibus Dei in creatione & totâ rerum naturâ colligitur, dividiturq; in *ἐμφυτον* seu *infitam*, quæ originem habet ex *κοινωνίᾳ ἐν νότῳ* nobiscum natis, & in utero matris nobis ingeneratis atq; implantatis, quæ amissæ imaginis divinæ sunt obscura quædam rudera, ac vestigia amissæ illius lucis, quæ in hominis mente ante lapsum fulgebat, quædam scintillæ, per quas communis illa notio, *Quod sit Deus*, omnium hominum

num

num mentibus naturaliter est insculpta. Scholasticis dicitur *sub-*
jectiva; & ἐπικτητον seu *acquistam*, quæ per rationem est collecta
ex libro creaturæ, h. e. ex actuali creaturarum contemplatione &
mirabili totius mundi gubernatione. Scholasticis dicitur *objecti-*
va. De insitâ loquitur Paulus *Rom. I. 19. c. H. 14. 15.* De acquistâ
Psaltes *Psal. XIX. 1. Rom. I. 20. & c.* Revelata Dei cognitio est, quam
Deus in libro scripturæ, h. e. in verbo suo de se, suaq; voluntate
nobis Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum ministerio
manifestavit, & hanc unicè h. l. intelligimus. Non enim compre-
hensiva locum invenire potest, cum non de Dei, sed de hominum
cognitione agamus. Non intuitiva, cum fideles V. T. non in
altero, sed in hoc vixerint seculo: non naturalis sive ea insita sit,
sive acquista, id quod partim mysterij, partim Trinitatis vox non
obscurè insinuat. Si enim mysterium est, non erit naturâ no-
tum, nec quicquam humana ratio de eo colligere poterit; ita
etiam si est cognitio Trinitatis, ad quam ex naturalibus rationis
viribus nullo modo adspirare possumus, cum sit articulus meræ
revelationis, sequitur, ejus cognitionem non naturalem sed su-
pernaturalem esse, & ita sola revelata remanet, quæ non ex ratio-
nis scrutinio, sed ex divino eloquio addiscenda est. Sed h. l. &
illud notandum, revelatam illam cognitionem in substantialibus
fidei punctis non aliam esse in V. aliam in N. T. sed specie unam
eandemq; esse, gradu verò differre. Nam idem est Deus, myste-
ria sua revelans in V. & N. T.; idem est Spiritus S. fideles in V. &
N. T. illuminans & lucem cognitionis accendens; eadem sunt
subiecta, nempe homines regenerati & renovati; eadem objecta,
mysteria nim. divina divino consilio & auxilio revelata; idem
quoq; finis, æterna salus & summa hominum felicitas; eadem
media salutis ad finem fidei consequendum ordinatâ; Idem in-
strumentum, verbum sc. Dei; eadem causæ administræ, homines
θεόπνευστοι divinitus illuminati; eadem adjuncta V. & N. T. Quem-
admodum enim hodie N. & V. T. perfectum fidei canonem con-
stituit, ita etiam olim Vetus Testamentum in se erat satis perfe-
ctum, ut nullam neq; additionem neq; detractionem admitteret
Deut. IV. 2. c. XII. 32. & c. & Paulus *II. Tim. III. 15.* de V. T. scriptura,
quam Timotheus ab infantiâ noverat, scribit, quod possit ipsum
(1) *instrue-*

(1) instruere & quidem (2) ad salutem (3) per fidem (4) quæ est in Christo Jesu, ad cuius veram & salutarem cognitionem etiam necessariò Trinitatis notitia referri debet. Et postea subjungit: *Omnis scriptura* (intellige tam V. quam N. T.) *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Conjungit igitur in his ipsis actionibus Vetus & N. Testamentum, ut utrumque satis in se perfectum, & eandem esse utriusq; naturam assereret. Sic quemadmodum N. Testamentum est clarum & perspicuum, ita etiam V. T. libri satis clari sunt atq; perspicui, sicut non tantum V. T. dicta, sed etiam Apostolica scripta testantur. Vid. *Deut. XXX. 11. Psal. XIX. 9. CXIX. 105. Prov. VI. 23.* quæ dicta licet de tota scriptura intelligi & explicari possint imò debeant, tamen nullo modo Scripturæ Veteris Testamenti sunt detrahenda, utpote quæ tum temporis sola exstabat, cum hæc dicta à viris *θεοπνεύστοις* consignarentur: vocatur autem lucida, lux, lumen, lucerna, quæ omnia perspicuitatem V. T. mirificè confirmant. Sic & Abraham divitis fratres *Luc. XVI. 29.* Christus totum populum, non tantum pharisæos & eruditos, ad scripturam V. T. ablegabant, ut inde viam salutis addicerent *Job. V. v. 39. 40.* hoc ipsum quasi præsupponentes, eam esse tam claram, ut quemvis piè legentem ad salutem informare possit. Petrus *II. Ep. I. 19.* scribit: *habemus firmiorem* (firma igitur cum sit scriptura V. T. firma etiam testimonia, firma argumenta suppeditat, tum ad confirmandos articulos fidei, tum ab erroribus quibusvis contra hæreticos vindicandos) *sermonem Propheticum* (loquitur de Scriptura Prophetica quæ est Veteris T.) *cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso.* Ex his & similibus fundamentis luculenter apparet, Scripturam V. T. absolutè & in se consideratam esse satis claram atq; perspicuam: longè verò alia ratio est comparatarum locutionum, quando Vetus cum Novo conferimus, tum enim gradu differre ut antea cognitionem diximus, ita idem de perspicuitate V. & N. T. asserimus. Nam majorem esse in Novo claritatem, quam olim in V. fuit Testamento ipsa Scriptura vel potius Spiritus S. in scripturis tradit *Rom. XIII. 12. Luc. I. 78. Matth. IV. 16. I. Tim. III. 16.* Idem quoq; Patrum testimonia comprobant *August. quæst.*

73. in Exod. In veteri, inquit, novum latet, in novo vetus patet. lib. de catechiz. rudib. c. 5. *Vetus Testamentum est occultatio novi* l. 15. contra Faustum c. 4. *Vetus est prophetia novi*. Huc facit quorundam Patrum allusio, qui *duo Testamenta per duos viros uvam ex terra Canaan portantes significata esse* statuerunt. Quamvis autem in populo V. T. non fuerit tanta lux cognitionis mysteriorum divinarum, quanta est in populo N. T. tamen non est nudè & simpliciter asserendum, mysteria hæc ipsis plane fuisse incognita, quia præter obscuras figuras habebant etiam clara prophetarum vaticinia, ex quibus etiam figuræ lucem suam sortiebantur. Vid. Plur. Rev. & Excell. Dn. Præses disp. de Divin. Christi p. 17. th. 19. seq.

IV. II. His ita explicatis facillimo negotio membrum secundum expeditum dabimus, in quo *Status controversiæ* constituendus venit. Patet autem ex dictis, non de omnibus hominibus, nec de omnibus fidelibus, neq; etiam de omnibus Israelitis, sed de solis fidelibus V. T. agi: nec de quavis cognitione, non de comprehensivâ, non de intuitiva, nec de naturali, sed de supernaturali & revelata sermonem institui, eaq; non clarissimâ, qualis temporibus N. T. sub summa Evangelii luce futura erat, sed paulo obscuriori, satis tamen clara, firma & perspicua, illis temporibus ex divinâ dispensatione convenienti & ad salutem consequendam sufficienti, qua distinctas Deitatis personas explicitè crediderunt. Quæstio itaq; est: *Num Fideles sub V. T. mysterium Trinitatis sufficienter ac explicitè cognoverint*. Notanter loquor de explicita notitia, qua distinctas personas Deitatis clarè satis cognoverunt. Hic status controversiæ & caput totius disputationis. Cum autem circa hanc quæstionem Doctores in diversas abeant partes, & Orthodoxi affirmativam; Photiniani, Anabaptistæ & alij negativam defendant, contra hos hac dissertatiuncula affirmativam nostram tum scripturæ dictis, tum rationibus ex analogia fidei petitis, tum variis variorum autorum testimoniis illustrabimus & confirmabimus.

V. Primum igitur sententiam hanc nostram confirmamus *Ex Scripturæ S. assertione*. Illa siquidem testatur *Deum verum creatorem cæli & terræ*, qui unus est in essentia & trinus in personis, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Mose &c. apparuisse, seq; illis reve-

B

lasse,

lasse, ita quidem, ut non tantum ipsi hunc verum Deum cognoverint & coluerint, sed etiam hanc cognitionem & cultum hunc ad omnem suam posteritatem propagaverint, qua de re omnia omnium librorum V. T. capita abundè satis testantur. Verum, Deum autem nullo modo cognoscere & colere potuissent, nisi Patrem, Verbum seu Filium & Spiritum S. cognovissent & coluissent. Nam Christus ipse inquit *Matth. XI. 27. Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius & cui voluerit Filius revelare. I Cor. II. 11. Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ex quibus clarè satis apparet sine Filio & Spiritu S. nec Patrem cognosci posse: nam quemadmodum ut Johannes I. Ep. II. 23. scribit: *Omnis qui negat Filium, is nec Patrem habet;* ita etiam, omnis qui ignorat Filium, ignorat etiam Patrem, utpote quem sine Filio & Spiritu S. propter arctissimam & indissolubilem unionem nemo salutariter unquam cognovit, nec cognoscere poterit, nam qui sunt *χωρὶς Χριστοῦ* sine Christi cognitione sunt etiam *ἀθεοί*, sine Deo *Eph. II. 12. vivunt in temporibus ignorantiae Act. XVII. 30. nec de Deo aliquid audiverunt Rom. X. 14 imò ignorant ipsum Deum Gal. IV. 8.* quod de gentilibus affirmat Apostolus loc. citatis. Quamvis enim illi ex naturæ lumine cognoscere potuerint, esse Deum, eundemq; esse unum, bonum, justum, potentem, sapientem, scelerum vindicem, mundi creatorem & gubernatorem, tamen quia Trinitatis mysterium in sacris literis revelatum ex naturali ratione apprehendere non potuerunt, ideo & Filium & Spiritum S. & cum his etiam Patrem ignorârunt, & sic eorum cognitio promerâ ignorantia reputatur. *Qui enim doctrinam Christi non habet, Deum non habet II. Job. v. 9.* Idem quoq; de cultu ut asseramus liquidò apparet ex *Job. V. 23. Pater per Filium omnia operatur, ac omnes honorent Filium, sicut & Patrem honorant. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui misit eum.* Ergo nullus Patri potest exhiberi cultus, nisi simul & Filius & cum Filio Spiritus S. adeoque Deus essentiâ unus, personis trinus una adoratione colatur & glorificetur. Jam autem nemo potest negare, fideles sub antiquo foedere Deum verum agnovisse & coluisse, nisi totam scripturam V. T. penitus velit evertere, ergo etiam non potest negari eos Patrem, Filium & Spiritum S. & cognovisse & divino honore coluisse.

VI. II. *Ex divina revelatione.* Hinc tale argumentum colligimus: Quem fidei articulum Deus in V. T. clarè ac significanter revelavit, illum etiam fideles ejus temporis cognoverunt. Atqui articulum Trinitatis Deus in V. T. revelavit. E. Majoris consequentiam probamus 1. *à revelationis divinae intentione.* Non enim faxis & brutis animantibus, utpote quæ facultate intelligendi & cognoscendi penitus destituuntur, sed creaturis mente & ratione præditis seipsum & voluntatem suam revelavit, non quidem ob eam solummodo causam ut libris, sed potissimum, ut cordibus cognitionem horum mysteriorum inscriberent. Hinc frequenter illud oraculum in scriptis Moïsi & Prophetarum occurrit: *Hæc dicit Dominus: hæc præcipio tibi, ut discas timere Dominum. Vid. Deut. IV. V. seq. 2. à fidelium descriptione:* Fideles sunt, qui fidem veram habent. Fides autem præter assensum & fiduciam etiam firmissimam & certissimam Dei notitiam complectitur *Esa. LIII. II. Luc. I. 77. Job. XVII. 3. &c. (3) à fidelium conditione.* Fideles non sunt, nisi qui Deo in omnibus obtemperant, ejusq; jussa & voluntatem fideliter exequuntur: Dei autem voluntas & intentio est in mysteriorum revelatione, ut ab hominibus cognoscantur; fideles igitur qui sunt, huic voluntati & intentioni divinæ summo studio satisfacere conantur. (4) *à Spiritus S. illuminatione.* Cum enim homo propter innatam stupiditatem & stupendam mentis suæ cæcitatem etiam Deo revelante mysteria sua ex propriis viribus illa apprehendere & cognoscere non possit, quin potius *stultitia sint ipsi ut non possit intelligere I. Cor. II. 14.* propterea Deus Spiritum Filij sui mittit in corda fidelium, ut ea sanctificet, & idonea reddat ad summa hæc mysteria percipienda, adeoq; quod naturæ deest, gratia supplet, ut homo renatus & fidelis arcana Dei mysteria si non in totum tamen in tantum, quantum sc. ad salutis æternæ consecutionem sufficiens est, percipere possit non tantum nunc in N. T. sed etiam olim sub Veteri potuerit. Minor facilimo labore probari potest ex multis perspicuis V. T. dictis, quorum saltem quædam ob brevitas studium hic recensere placet, *Gen. I. 1. seq.* ubi non tantum indeterminatæ pluralitatis in phrase *ברא אלהים*, sed etiam distinctæ Trinitatis fit mentio nim. *Dei dicentis, Verbi omnia creantis, & Spiritus S. instar avis superincubantis*

baptis & omnipotente suâ virtute omnia vivificantis. Quo testimo-
nio eò libentius usi fuerunt orthodoxi Patres, quia statim in pri-
mo limine scripturarum invenerunt, quo omnivarios Sanctissi-
mæ Trinitatis hostes tum Judæos tum alios hæreticos constri-
gere potuerunt, ut videre licet apud *S. Ignatium in Epistolis non unis,*
apud Justin. martyr. in dialogo cum Tryphone Judæo, apud Ire-
neum, Tertullian. Cyprian. & in universa antiquitate Ecclesiasticâ. Ad-
de *Num. VI. 24. 25. 26.* ubi in benedictione illa solenni Israelitarum
nomen Jehovæ trina vice repetitur, & cuilibet peculiaris & di-
stincta actio adscribitur, ex quibus distinctis operationibus, tum
etiam ex trina repetitione, Trinitatis mysterium ipsis Judæis
quoq; confitentibus colligimus: nam hoc est veterum Hebræo-
rum axioma: *Ubi ter ponitur nomen Dei, ibi significantur tres* יהוה
seu proprietates, quibus mundus creatus est: per has autem intelligunt
tres personas. Similiter *Deut. VI. 4.* Trinitatis arcanum revela-
tum esse ipsi Rabini confitentur, siquidem dicitur: *Audi Israel Je-*
hova Elobenu Jehova unus est. Ubi in secundo vocabulo pronomem
suffixum notandum venit, quod ostendit mediam Trinitatis
personam esse *Deum nostrum seu nobiscum,* ut ex *Esa VII. 14. c.*
IIIX. 10. Matth. c. I. 23. interpretatur: quia Filius Mediator noster est &
per incarnationem noster factus est. Cui fermè parallelus est
locus *Psal. LXVII. 7. 8. Benedicat nos Elobim Elobenu, benedicat nos*
Elobim, ubi itidem secundo vocabulo adjecta est particula נא ad
hoc ipsum mysterium significandum. Confer *Psal. XXXIII. 6.*
Insigne porro distinctarum personarum divinarum testimonium
proponitur, *Esa. VI. 3.* ubi ex v. 8. patet, quod plures sint, qui ab
angelis glorificantur, quod autem nec plures sint tribus, nec pau-
ciores, trina repetitio vocabuli *Sanctus* indicat. Item c. *LXI. 1.*
ubi fit mentio *Messia loquentis, Jehovæ ungentis, Spiritus inha-*
bitantis, qui est ipsum ungentum. Præcipuè notetur locus *Esaia*
LXIII. v. 7. 8. 9. 10. in qua non tantum trina est repetitio vocis *Je-*
hova, quæ ex sententia Rabb. Trinitatem significat: sed etiam
Patris distincta fit mentio in pronomine *Ejus:* dum dicitur Ange-
lus faciei *Ejus,* i. e. *Patris: Angelus a faciei est Filius,* qui est absolu-
tissima Patris imago *Col. I. 15.* tandem quoq; *Spiritus S.* additur.
Sed & porro *Esaia c. XLIX. 16.* *Jehova mittens, Filius missus &*
Spiritu

Spiritus Dei à Propheta àpertè ostenditur. Confer *Hag. II. v. 5 6.*
ut & *II. Sam. XXIII. 2. 3. &c.*

VII. II. *Ex Propbetica Scripturarum interpretatione.* Ponamus
ex hypothesi V. T. oracula esse tam obscura, ut non à quovis Tri-
nitatis dogma possit deprehendi, non tamen hinc statim sequi-
tur, *Fideles V. T. nullam Trinitatis cognitionem habuisse.* Quid fiet de
N. T. de quo Photiniani idem negare audent, ut patet ex *Socin. in*
animadv. defens. contra Eutrop. c. 3. p. 51. De Trinitate, inquit, *nul-*
lum prorsus (sc. nec in V. nec in N. T.) exstat divinum testimonium,
imo innumerabilia testimonia ei àpertissimè refragantur. *Ostorsd. cont.*
Tradel. part. 2 c. 1. p. 87. Ne unicus quidem monstrari potest scripturæ
locus, ex quo saltem obscure Trinitas deprehendi possit. *Smalcus in re-*
fut. thes. Schop. p. 19. inquit, nihil falsius dici posse, quam Christum &
Apostolos in N. T. Trinitatis dogma proposuisse. Num verò propter
hæc Photinianorum testimonia, vel potius mendacia, Trinitatis
mysterium etiam ex N. T. proscribemus, aut nullos fideles N. T.
illud cognoscere ex N. T. scriptis posse affirmabimus, præsertim
cum non à quovis (nim. non tantum laicis sed etiam eruditis
Photinianis) ibi possit deprehendi? absit: nam *incredulitas homi-*
num Dei fidem evacuare nequit Rom. III. 3. Deus clarè satis in Vete-
ri, & multò clarius in N. T. Trinitatis cognitionem proposuit, ut
omnes, qui velint, ductu & afflatu Spiritus S. illam possint exinde
addiscere; quod si quis tantà cæcitate obduravit animum suum,
ut hanc claram & distinctam cognitionem nolit accipere, certè
non Deo, sed ipsius hominis pertinaciæ & malitiæ causa ignoran-
tiæ est adscribenda, quia vel ob præconceptas opiniones, vel ob
alias vitiosas qualitates illuminationem Spiritus S. & verbi divini
operationem impedit & seipsum tam salutiferâ cognitione in-
dignum constituit. Præterea Deus in V. T. etiam Prophetas Spi-
ritu suo exornaverat, & ordinarium Levitarum & Sacerdotum
ministerium constituerat, ut illi populum docerent, si forsitan
illa mysteria penitus percipere non possent. Hinc dicitur de
Abrahamo *quod edoctrurus sit filios suos viam Domini, Gen. XII. 19.*
hinc etiam *labia sacerdotis dicuntur custodire scientiam, ut legem re-*
quirant ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est Mal. II. 7.
adeoq; si V. T. oracula obscuritate aliquâ laborassent, ut laici ea

intelligere non potuissent, dubio procul Sacerdotes, Levitæ & Prophetæ officij sui rationem habentes auditoribus suis in Synagogis & aliis cōventibus sacris ea exposuissent, & fideles eorum sensum & intellectum genuinum à Doctoribus suis petissent; nam si hoc fecerunt, citra dubium etiam verum dictorum sensum & explicationem ab iis acceperunt, nisi velimus sanctos Dei viros maximæ invidia reos agere, quod noluerint hanc ad salutem penitus necessariam doctrinam illis communicare; si autem hoc non fecerunt, neq; veritatis cognitionem à Doctoribus suis postularunt, non magis pro verè fidelibus habendi, quam carbonarius ille, qui tempore etiam N. T. implicita vel potius nulla fide credebat id, quod Ecclesia credit, neq; suæ fidei rationem reddere poterat: non autem de talibus hypocritis sed de verè fidelibus nos h. l. differimus, ut ex superioribus liquido constat.

IIX. IV. *Ex nominis Jehovæ propria significatione.* Photiniani quidem & recentiores Judæi, quibus suffragantur quidam Calviniani & Pontificij, statuunt hoc nomen in sacris literis etiam creaturis tribui, sed falsum esse hoc ex sacris sufficienter probari potest. Nam Mosi de proprio Dei nomine querenti Deus ipse respondet *Exod. III. 14.* יהוה אֲנִי יהוה *Ero qui ero.* Sic dices filijs *Jfrael:* יהוה *Ero, misit me ad vos.* Et dixit adhuc Deus ad Mosen: sic dices ad filios *Jfrael,* Jehova Elobe Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus *Jsaac,* Deus *Jacob* misit me ad vos. Hoc nomen meum in æternum & memoriale meum in generationem & generationem. Hoc responsum David *Psal. CXXXV. 13.* totidem fere verbis repetit dicens: *Jehova nomen tuum in seculum, & memoria in generationem & generationem* *Esa. XLII. 8.* Ego Jehova hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. *Conf. Esa. XLIII. 11. Jer. XVI. 21. &c.* Cum his dictis mirificè convenit tum nominis hujus etymologia & significatione, tum propria ejus natura & conditio, tum veterum Doctorum tam Judæorum, quam Christianorum testificatio, unde *B. Chemnit. in Loc. p. 1. p. 60.* ita scribit: *Quicquid sit, de hac significatione inter ipsos Rabinos constat. Cum reliqua nomina Dei metaphorice etiam creaturis tribuantur (quia ab operibus Dei sumpta sunt) solum nomen יהוה quia ipsam divinam essentiam significat, ita esse proprium Dei, ut nulli creaturæ communicari & de nulla creatura dici possit.*

fit. Quia *Esa. XLII. 8.* dicitur: Ego יהוה hoc est nomen meum, & gloria meam alteri non dabo. Hac hypothesis ipsorum Rabinorum est. Ita *Me.* Et recte quidem. Nam *R. Moses Maimon Aegyptius in More Nebuchim par. i. cap. 60.* citante *Galatin. l. 2. de arc. cap. 10.* Omnia inquit nomina creatoris in libris omnibus inventa, ab effectis sunt derivata, præter unum nomen, quod est Jehova, & est nomen appropriatum creatori altissimo, & propter hoc vocatur *Schembamephorasch b. e.* ipsum est significans & ostendens creatoris substantiam & quidditatem significatione & ostensione perfecta. *Ibid.* Non est dubium, quin hoc nomen gloriosum est nomen illud, in quo non est participatio inter creatorem & aliquid aliud &c: Similia & apud alios Rabinos occurrunt. Quinimo ipsi adversarij sententiæ nostræ subscribere veritatis fulgore victi coguntur. *Socin. cont. Wieck. cap. 6. class. 4. arg. 2. Respondeo,* inquit, *nec LXX. Interpp. nec Hieronymum eos imitatum reddidisse nomen Jehova* *יהוה* seu Dominum, quia putarent se hoc pacto nomen illud exprimere, sed quia *nec LXX.* illis quicquam melius occurrit, quod græcis auribus inauditum non foret, nec Hieronymus hac in parte quicquam innovare voluit, alioqui nomen Jehovæ est nomen proprium, *יהוה* verò seu Dominus nomen appellativum, & idcirco vel hoc solum valde ineptum ad nomen Jehovæ exprimendum. Ex his igitur luculenter satis constat nomen Jehovæ esse nomen proprium Dei, adeoq; omnes qui dicuntur Jehova, erunt unus verus Deus, hinc tale formamus argumentum: Quibuscunq; tribuitur nomen Jehovæ, illi sunt unus verus Deus: Atqui tribus (nim. Patri, Filio & Spiritui S.) nomen hoc tribuitur. Ergo tres illi sunt unus verus Deus. Major ex antea propositis satis clara. Minor probatur è dictis supra citatis *Psal. XXXIII. v. 6.* Item ex *Num. VI. 24. 25. 26.* ubi tribus distinctis operibus & trina vocabuli Jehovæ repetitione Trinitas personarum ostenditur. Et de Patre nullum aliàs dubium est. Filio autem tribui hanc appellationem patet ex *Exod. III.* Hunc angelum non creatum sed increatum fuisse patet ex appellatione quia dicitur *יהוה* ex operis divini attributione, quia ipsi liberatio populi ex Ægypto adscribitur, ex symbolica apparitione, quia in rubo ardente, futuræ incarnationis mysterium adumbrante apparebat, ex cultus divini exhibitione & aliis *restrngtois*, quæ ipse contextus suppeditat. *Sic Gen. XVI. 7.*
Angelus

Angelus apparebat Hagaræ qui v. 13. dicitur *Jehova*: item c. XXI l. 1. Abraham o, qui itidem v. 14. dicitur *Jehova* &c. Idem quoque ex collatione V. & N.T. ostenditur, vid: B. Chemnit. d. l. p. 59. De Spiritu S. etiam res est expedita: nam is qui per Mosen & Prophetas ad populum Israeliticum est locutus, vocatur & est verus *Jehova* *Exod. IV. 12. II. Sam. XXIII. 3.* At Spiritus S. est is, qui per Mosen & Prophetas ad populum Israeliticum est locutus *II. Sam. XXIII. 2. Zach. VII. 12.* E. Deinde is, qui Israelitas deduxit per desertum vocatur & est verus *Jehova* *Deut. XXXII. 12.* At Spiritus S. duxit Israelitas per desertum *Esa. LXIII. 11. 14.* E. Tandem Is, qui ab Israelitis in deserto est tentatus & exacerbatus, vocatur & est verus *Jehova* *Psal. LXXII. 17. 18. Ps. XCV. 6. 7. 8.* Spiritus verò S. est is, qui ab Israelitis in deserto fuit tentatus & exacerbatus *Esa. LXIII. 10.* E Spiritus S. vocatur & est verus *Jehova*. Concludimus igitur quia Pater, Filius & Spiritus S. est *Jehova*, eundem Patrem, Filium & Spiritum S. esse unum verum Deum Israelis, à fidelibus in V. T. cognitum.

IX. V. *Ex operum divinorum consideratione.* Opera Dei duplicia sunt interna & externa: illa cuiuslibet personæ propria, hæc vero sunt, communia. Internum opus Patris respectu Filij est generatio, secundum quam Filius à Patre ab æterno genitus est, de qua *Psal. II. 7. Psal. LXXII. 17. Prov. IX. 24.* respectu Spiritus S. est spiratio, hinc dicitur *Spiritus Domini Gen. I. 3. Spiritus oris ejus Psal. XXXIII. 6 spiraculum omnipotentis Job. XXXIII. 4.* Filij hypostatica proprietas respectu Patris est generatio passiva (sensu non physico sed grammatico seu potius mystico, quia Pater genuit, Filius genitus est) respectu Spiritus S. Spiratio quia *Gen. I. 3.* dicitur *Spiritus אלהים* h. e. Patris & Filij. *Esa. XI. 4. Spiritus labiorum Messia.* De Patris & Filij proprietatibus clarè satis adducta testimonia V. T. loquuntur, adeoq; aliam personam gignentem, aliam genitam potuerunt & debuerunt agnoscere. Sed de Spiritus S. processione dubium forsitan oriri posset, sed quicquid de ea sit sub V. fadere, Rabinis tamen non incognita omnino fuit, ut ex dictis ipsorum constat, & fideles Doctores, ut ex appellatione Filij, ejus generationem, ita ex appellatione Spiritus, & quia dicitur Spiritus oris *Jehovæ*, æternam spirationem auditoribus

ribus suis proposuerunt, & ita dogma Trinitatis ipsis demonstra-
runt. Opera Dei externa in scripturis varia sunt, eadem tamen
tribus distinctis personis attribuuntur, & de Trinitatis cognitione
concionantur. Opus creationis est opus verè divinum, nam ad
productionem Entis ex nihilo requiritur infinita virtus, quæ so-
lius veri Dei propria, unde & creatio soli vero Deo adscribitur,
Job. IX 8 Esa. XLIV. 24. XLV. 6. Jer. X. 11. Eadem tamen creatio
tribuitur pluribus *Gen. I 1. Creavit Elobim v. 26. Faciamus hominem
ad imaginem & similitudinem nostram.* Tribuitur etiam tribus *v. 2. 3.
Deus Dixit: Spiritus Domini incubabat aquis, Psal. XXXIII. 6. Verbo Do-
mini cæli firmati sunt. & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* De
Patre creatore autem cum nunquam sit dubitatum, de Filio & Spi-
ritu S. peculiaria Scripturæ dicta testantur, quod ipsi mundum &
omnia ex nihilo creaverint, *Prov. IX. 27. seqq.* dicitur de Sapien-
tia Dei, quæ Filius Dei unigenitus est, sicut ex contextu colligitur.
*Quando preparabat cælos ad eum, quando certâ lege & gyro vallabat
abyssos; quando æthera firmabat sursum & confirmabat fontes abyssi;
quando circumdabat mari terminum suum & legem ponebat aquis, ne
transirent fines suos, quando constituabat fundamenta terræ, cum eo ar-
tífex eram & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempo-
re &c.* Huc referri solet & illud *Prov. C. III. 14. Dominus בחוכמה
in sapientia sua fundavit terram, stabilivit cælos in intelligentia sua
v. 20. Per Sapientiam ejus sunt abyssi & nubes rore stillantes factæ, Esa.
XLIV. 24. Ego Dominus, faciens omnia לברי solus, formans terram
איתי א cum me h. e. per eum, qui est apud me nim. per Filium, per
sapientiam, quæ est אצרי *Prov. IX. 3. per eum, qui est עמיתי
vir mihi proximus Zach. XIII. 7. Targum Jonathæ hunc locum,
Esaia sic exponit: Ego Dominus creator omnium extendi cælos Verb
meo, vel per Verbum meum, fundavi terram in virtute vel fortitudine
mea.* Sic de Spiritu S. creatore loquuntur *Job. XXVI. 13. c. XXXIII.
4. Psal. C. V. 30. Esa. XL. 12. &c.* Ita videmus quando veteres Deum
creatorem cæli & terræ cognoverunt, eos simul Patrem, Filium
& Spiritum S. cognovisse. Idem etiam ex articulo redemptio-
nis, sanctificationis, ut & ex educatione Ægyptiaca colligere po-
tuerunt, quæ cum sint opera verè divina, tamen in V. T. etiam*

C

Filio

Filio atq; Spiritui S. tribuuntur, adeoq; de divinitate tum Filij, tum Spiritus S. testantur, ex quibus testimoniis fideles illorum temporum satis sufficienter ad salutem de hoc mysterio informari poterunt. Idem etiam ex attributis divinis Filio & Spiritui S. assignatis in V. T. posset demonstrari, nisi brevitati studeremus. Addimus saltem hoc in V. T. fideles cum Patre etiam Filium & Spiritum S. adorasse & glorificasse: nam de *Filio* quamplurima loca possent produci *Gen. XVI. 13. c. XIX. 22. c. XXII. & c.* de *Spiritu S.* etiam testatur *τ ε ρ ο υ γ ι ο ν* *Es. 6.* quo *B. Chem. d. l. p. 105.* etiam refert illud *Psal. LI. 14.* *Norunt*, inquit, *Hebraicè docti*, illud *Psal. LI. v. 14.* *Spiritu spontaneo confirma me*, rectè etiam hoc modo legi: *Spiritus spontaneus confirmet me.* Sic paulo ante: *Quando David Psal. CXLIII. 10.* orat: *Spiritus bonus deducat me in terram rectam; non idem est, ac quando Tobias senex Pater c. V. v. 21. dicit Angelus Domini comitetur vobiscum: sed est vera invocatio, sicut I Thess. III. 11. Paulus simili forma utitur: Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos.* Hæc ille. Et hinc colligit Patres sub antiquo fœdere & Patrem & Filium & Spiritum S. adorasse & coluisse, nam, verba sunt *Chemnitij p. 100.* *scurrilitas illa (si tam levi vocabulo appellanda est) neutiquam admittenda est, quæ fingit, Ecclesiam primò piè credidisse in unum Deum: deinde in Niceno Concilio additam esse secundam personam: postea verò (quia numero Deus impare gaudeat) Spiritum S. esse relatam in numerum ternarium Trinitatis. Illi sunt sine omni dubio sarcasmi Diaboli.* Ex his colligimus: Si fideles sub V. T. Patrem, Filium & Spiritum S. coluerunt, sequitur etiam eos Trinitatis mysterium cognitum habuisse, nam quod ignoramus, colere & adorare non possumus.

X. VI. *ab imaginis divinæ reparatione.* Creaverat ab initio Deus hominem ad imaginem suam, ut tum ex divina deliberatione & ejusdem executione constat *Gen. I. 26.* virtute hujus imaginis divinæ primus homo maximâ tum supernaturalium tum naturalium rerum notitiâ instructus erat: cognoscebat enim præter angelos, præter seipsum, præter animalium naturam, etiam Deum omnium creatorem; quippe ad hunc finem conditus, ut Deum creatorem suum celebraret, hoc autem fieri non potuisset,
fi

si Deum ignorasset: nam ignoti ut nulla est cupido, sic nulla ejus celebratio: quis igitur de eo dubitaret, cum ipsius cognitio nostrâ fuerit longè perfectior & illustrior, Adamum cognovisse Dei essentiam, quod sit unus in essentiâ, Trinus in personis, Dei voluntatem legalem sc. (nam de Evangelicâ, cujus nullus in statu integritatis fuisset usus, cum Filius Dei propter nos & nostram salutem incarnatus sit, ut *Symb. Nic.* loquitur, nihil poterat colligere) ejus bonitatem, sapientiam, justitiam & attributa cætera; sic etiam opera Deitatis interna absq; dubio melius & perfectius intellexit Adamus, quam nos omnes in hac cæcitate capere possumus; nam de protoplastis dicitur *Ecccl. XVII. 5.* Deum disciplinâ intellectus replevisse eos. Cum autem Adamus per miserimum lapsum hanc nobilissimam Dei cognitionem amisisset & pro hâc divinæ sapientiæ luce ignorantia tenebras & mentis cæcitatem accepisset, Deus ipse & posterorum misertus imaginem hanc per missionem Filij & Spiritus S. reparare decrevit, ideoq; non tantum in N. sed etiam in V. T. homines fideles ad hanc imaginem reparati sunt, de qua Apostolus scribit *Col. III. 10.* *Induite novum hominem, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Ex h. l. varia possunt colligi argumenta, quod reparatio imaginis divinæ non tantum essentiæ unitatem, sed etiam Trinitatis cognitionem includat, nam colligitur id ipsum (1) *ex Apostolica præceptione.* *Induite,* inquit: Ea autem induimus, quæ antea exuimus: homo verò non omnem Deitatis, sed Trinitatis cognitionem per lapsum amiserat, quia etiam gentiles post lapsum ex sanatione essentiæ unitatem cognoscere potuerunt, ad Trinitatis igitur notitiam hoc præcepto Apostolico adstringimur. (2.) *ex novi hominis descriptione:* novus homo est, qui secundum Deum ambulat, id quod nemo in statu reparationis præstare poterit, nisi Trinitatis cognitionem habeat. (3) *ex agnitionis veræ attributione:* qui Deum verè agnoscunt, etiam Patrem, Filium & Spiritum S. agnoscunt, quia Pater, Filius & Spiritus S. est unus & solus verus Deus: *qui autem non honorat Filium, ille nec honorat Patrem Job. V. 23.* *Christum verò sine Spiritu S. nemo etiam Dominum appellare potest I. Cor. XII. 3.* (4) *ex imaginis divinæ renovatione.* Expressis verbis

asserit Apostolus nos renovari ad imaginem ejus, qui creavit nos.
Ex quibus verbis ita argumentamur: Ad cujus imaginem creati
sumus ad ejus imaginem omnes fideles tam V. quam N.T. reno-
vantur. Atqui ad Patris, Filij & Spiritus S. imaginem creati su-
mus. E. Major est Apostoli: Minor probatur ex propria sede crea-
tionis *Gen. I. 26. 27.* ubi 1. ponitur *Elohim* nomen plurale 2. *נְשָׂוּם*
verbum plurale. 3. pronomen plurale, ad similitudinem no-
stram: 4. verbum *נָסַב* tribus distinctis vicibus repetitur v. 27. ad
תְּפִלָּתָא exprimendam. Qua de re *Ambrosi. l. 6. Hexaem. c. 7.* Non sibi
utiq; hoc dixit, quia non dicit *Faciām*, sed *faciamus*: non angelis, quia
ministri sunt, servi autem cum Domino & opera cum autore non possunt
operationis habere consortium. Non igitur Deus Angelos alloqui-
tur, cum non sint creatores sed creaturæ; non terram, neq; qua-
tuor elementa, neq; potentias in homine ut fanatici homines nu-
gantur, neq; etiam plurali utitur numero honoris causâ, aut
secundum peculiarem lingvæ sanctæ idiotismum sed ad designan-
dam simplicissimam trium personarum in una essentiâ unitatem;
nam in eo, quod dicit, *Faciamus*, in plur. una operatio trium per-
sonarum ostenditur, in hoc verò quod dicit *ad imaginem & simi-*
litudinem nostram, una & æqualis trium personarum essentia indi-
gitatur. Super hæc verba *B. Dn. D. Jac. Mart. in Part. d. 6. th. 12.* ita
scribit: *Hic quis hominis creator fuerit, exactè docetur, nempe Elohim,*
h. e. Sacrosancta Trinitas, Pater, Filius & Spiritus S. Atq; hoc est, quod
ter repetit verbum creandi in unico hoc textu Moses, quod non putemus
vel frustra vel ornatus alicujus causa fieri: plura certe mysteria latent in
verbis divinarum scripturarum, ut non sine causâ jusserit Christus, ut
scripturas non superficite tenus legamus, sed ut eas scrutemur. Nam sin-
gula ibi verba, sunt singula pondera. Quocirca nulli dubitemus, quin
Moses trinâ hac verbi Creandi repetitione docere voluerit, hominem
non à Patre solum creatum fuisse, verum etiam à Filio & Spiritu S. ut
enim ad nostri recreationem semper concurrunt & simul operantur:
Pater mittit Filium, Filius fundit sanguinem & peccata expiat, Spiritu
S. regeneramur & beneficium Christi nobis applicatur; ita etiam ad
nostri creationem omnes simul operati sunt. Hæc ille. Ex quibus
omnibus clarè liquet, etiam fideles V. T. quorum renovatio cum
nostrâ

nostrâ eadem est, ad agnitionem ejus, qui creavit illos, nim. Patris, Filij & Spiritus S. reparatos esse.

XI. VII. *A naturalis & revelata cognitionis distinctione.* Quamvis enim absolutè & in se naturalis Dei notitia sit insigne Dei donum, imò ipsa veritas *Rom. I. 18.* tamen respectu revelatæ dicitur imperfecta, languida, imò nulla. Imperfectionis eam accusamus, quia valdè multa ad salutem penitus necessaria ignorat, unde & gentiles ejus operâ ad salutem pervenire hautquam potuerunt. Nam quæ de Deo in hac mentis imbecillitate cognosci possunt & debent, ad tria potissimùm capita revocamus nim. *to Esse, Velle, Operari.* *Esse Dei* consistit in eo, quod sit unus in essentiâ & trinus in personis. Unitatem essentiæ divinæ naturalis ratio quodammodo intelligit, sed personarum Trinitas ex Verbi revelatione innotescit. *Velle Dei* duplex est; *legale & Evangelicum*: *illud* ostendit, quid Deus à nobis fieri velit, *hoc* quid de nobis fieri velit: *illud* confusè quoad exteriores tantum actiones ex lumine naturæ cognoscitur: *hoc* verò est mysterium à seculis absconditum, adeoq; rationi humanæ impervestigabile. *Operari Dei* duplex est *internum seu hypostaticum & externum.* *Internum* respicit tum æternam Filij à Patre generationem, tum imperscrutabilem Spiritus S. à Patre & Filio processionem, sed utrumq; rationi per naturam incognitum. *Externum* consistit tum in rerum omnium creatione & conservatione, tum in humani generis redemptione, tum in fidelium sanctificatione. De creatione & conservatione aliquid saltem veluti per nebulam ratio cognoscit, sed redemptio & sanctificatio ipsi penitus est abscondita. Si jam à fidelibus V. T. Trinitatis cognitionem demamus, nihil fermè præter naturalem notitiam reliquum habebunt, adeoq; omnis fermè inter naturalem & revelatam cognitionem distinctio sublata erit, & fideles V. T. secundum Scholasticos per eandem naturæ legem salutem æternam obtinuerunt. Nam sublato Trinitatis articulo quoad *Esse Dei*, solum essentiæ unitatem, quoad *Velle* tantum legalem voluntatem, quoad *Operari*, nihil de internis & hypostaticis operationibus, nihil de redemptione, nihil de sanctificatione, sed solam creationem & conservationem cognoverunt. *Languida* dicitur notitia Dei naturalis, quia destituitur

tuitur *πληρὴς* *δοξία* fidei per lucem verbi à Spiritu S. in mente hominis accensa & in Mediatore Christo fundata. Sed exclusâ Trinitatis confessione, V. T. cognitio verè erit languida, quia nullus erit Mediator, nullus sanctificator, cui tamen praxis totius V. T. reclamât. *Nulla* tandem dicitur, quia mera est *ἀγνοία* *Gal. IV. 8. I. Theß. IV. 5. Act. XVII. 30.* penitus ignorans Salvatorem Christum, totamq; salutis nostræ negotium. Sed nisi Trinitatis cognitionem fidelibus sub V. T. concedamus, eadem de ipsorum cognitione ut dicamus necessum est, quia nulla ibi distincta Christi notitia, cum igitur sint *χωρὶς χωρῖς*, erunt etiam *ἀθεοὶ* sine Deo *Eph. II. 12.* quæ se invicem teste Apostolo consequuntur, quod absurdissimum.

XII. IIX. *Ex mysterij hujus conditione:* quia mysterium hoc sine salutis dispendio ignorari nequit, adeoq; ad vitam æternam consequendam est prorsum necessarium, siquidem non tantum negatio, sed etiam ignoratio Trinitatis est damnabilis; Ita igitur argumentamur: Cujus dogmatis cognitio ad salutem est necessaria, illius cognitionem in V. T. fideles habuerunt. Atq; Trinitatis cognitio ad salutem est necessaria. E. Majoris consequentia firma est: non enim negari potest, fideles sub antiquo fœdere esse salvatos, ergo etiam omnia dogmata ad salutem necessaria cognoverunt, aliàs enim ad salutem pervenire non potuissent. Minorem ita probamus: Aut ignorantia, aut cognitio Dei ad salutem est necessaria, tertium non datur: Sed illud absurdum, quia aliàs fanatici & Epicuræi homines, qui Deum ignorant, essent beatissimi. Ergo hoc erit concedendum. Ulterius ita progredimur: Si cognitio Dei est necessaria, ergo vel sola unitatis essentiæ cognitio, vel unitas cum Trinitate conjuncta seu certis personis distincta: non illud, quia aliàs gentiles etiam salutarem cognitionem Dei habuissent, qui unitatem essentiæ ex naturâ colligere potuerunt, quæ tamen secundum Apostolum est mera ignorantia, id quod dicta antea citata confirmant. Ergo hoc remanet. Si unitas certis personis distincta est necessaria ad salutem, sequitur vel unam vel duas vel omnes tres esse cognoscendas. Non illud, quia solus Pater absq; Mediatore iratus iudex est; non istud, quia nec Pater & Filius sine Spiritu S. nec Pater & Spiritus S. sine

S. sine Filio, nec Filius & Spiritus S. sine Patre agnosci & coli salutatur potest, sed ad salutem omnium trium personarum cognitio propter summam & ineffabilem personarum περιχώρησιν prorsum necessaria, nam *Nemo novit Filium, nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius & cui voluerit Filius revelare, Matth. XI. 27. Filium autem nemo potest appellare Dominum sine Spiritu S. I. Cor. XII. 3.* imo *quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei c. II. 11.* Vide B. Gerhard. Exeg. 1. 3. de myst. Trin. §. 2. seq.

XIII. IX. *A doctrina V. & N. T. identitate:* Quicquid ad Evangelium ab Apostolis prædicatum directè ac per se spectat, illud etiam à Prophetis est revelatum. Atqui dogma Trinitatis directè ac per se spectat ad Evangelium ab Apostolis prædicatum. E. Major probatur *Rom. I. 2.* ubi Apostolus dicit *Evangelium ante promissum esse per Prophetas in Scripturis sanctis & Act. XXVI. 22.* profiteatur se testificari majori & minori, nihilq; extra dicere quam ea, quæ *Propheta locuti sunt futura esse & Moses.* Quantum igitur ad τὰ substantialia seu substantialia fidei pertinet, eadem nobiscum fideles in V. T. cognoverunt & crediderunt; licet quoad τὰ περιστατικά sive circumstantialia discrimen aliquod occurrat. Unde Petrus in Concilio primo Hierosolymitano *Act. XV. 11.* Patres eadem gratiâ Domini Jesu Christi, eadem fide salvatos esse, quâ & nos justificamur. Si igitur fides est eadem, objectum quoq; substantiale idem requiritur, adeoq; quemadmodum nos credimus in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ita & illi Trinitatem cognoverunt.

XIV. *A fidei certitudine.* Non potest negari in Deo pluralitatē quandam firmiter posse ex multis testimoniis V. T. probari. Econtra etiam multa ejusdem Testamenti dicta de unitate essentiæ divinæ loquuntur. Quid igitur hic de cognitione & fide sanctorum in V. T. dicemus? num alios in unum, alios in plures Deos eosq; indeterminatos credidisse, statuemus, qualis olim gentilium fides erat, qui numerum Deorum modo augebant, modo imminuebant? neutiquam. Nam ut fides in novo Testamento certissima est notitia, imo summa & immota πληροφροῦσα, ita & veterum fides eandem certitudinem, eandemq; naturam habuit, neq; plures Deos quam unum crediderunt, neq; plures aut pauciores quam tres personas cognoverunt.

XV.

XV. *A fidei & dogmatis hujus latitudine.* Non enim ad tempora N. T. est restringenda fides Trinitatis, cum tam illustria testimonia & argumenta ex N. T. haecenus sint allata, ideoq; articulus fidei Catholicæ cum sit dogma Trinitatis ita argumentamur. Si articulus Trinitatis ad fidem Catholicam pertinet, sequitur fideles V. T. eam cognitionem habuisse: quia una veræ Ecclesiæ fides est. Atqui verum est prius E. Vid. *Plur. Rev. & Excell. Dn. Praeses in disp. de mysterio Trinitatis p. 1 seq.*

XVI. XII. Hisce nostris fundamentis addi potest *Rabinica dictorum scriptura explicatio.* In *Talmud* illud *Jos. XXII. 22.* *Jehova El Elobim, Jehova El Elobim* sic exponitur: *Dixerunt primo Deus, Deus, Deus, quia per hos tres creatus est mundus. Et deinde dixerunt, Deus, Deus, Deus, quia per hos tres quoq; data est lux. Sed nunquid potuisset unus eorum se solo separatimq; (creare mundum)? nequaquam, sed duo alij uniti cum eo necessario creaverunt.* Hæc iisdem ferè verbis ponuntur in *Comm. R. Mosis Hadarsan super c. 1 Gen.* In *zohar.* cujus summa apud Judæos integritas, *R. Simeon Ben Jobai* profert locum ex *R. Ibba super Deut. VI. 4.* Per Primum *Jehova*, quod Dei nomen incommunicabile est intelligit *R. Ibba Patrem omnium principem: per Elobenu i. e. Dominus noster, Filium omnium scientiarum fontem. Per secundum Jehova Spiritum S. ex ambobus procedentem, qui quidem vocis mensura est. Vocat v. unum quia individuum est, nec revelabitur hoc arcanum ante adventum Messiae.* De dicto *Psal. XXX. III. 6. R. Mosis Hadarsan super illud Gen. XLII. Joseph ipse potens super terram, refert ita dixisse R. Eleasar: Non est creatus mundus nisi Verbo Dei sancti & benedicti, sicut dictum est Psal. XXXIII. Verbo Domini caeli facti sunt. Ubi & R. Simeon dicit, spiravit Deus spiritum oris sui & creatus est mundus sicut dictum est Psal. XXXIII. & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum, in quibus hi tres, Deus, Verbum ejus & Spiritus distinctè in mundi productione concurrisse ponuntur. Super *Esa. VI. 3. R. Simeon. Ben Jobai* ita commentatur: *Sanctus hic est Pater. Sanctus hic est Filius, Sanctus hic est Spiritus S.* Sic cum ex Regno Neopolitano ejicerentur Judæi in *Tbargum à Jonatha Uzielis filio* sic hymnus iste versus fuit:*

קדוש אבתי קדוש ברתי קדוש ורוחתי קדוש
 Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus. S. Plura ejusmodi te-

stimonia

Simonia Vet. Rabb. qui desiderat consulat *T. 4. disp. Gieß. d. 10. Pe-*
trum Galatin. lib. de arc. Cath. verit. Burgensem in suo scrutinio. Nos ex
 illis hoc ipsum colligimus veteres Judæos cognovisse Deum Pa-
 trem, Filium & Spiritum S. adeoq; sub V. T. fideles hac quoq; co-
 gnitione imbutos fuisse. Huc etiam pertinent Cabalistarum alio-
 rumq; Rabb. observationes. Nam primâ statim Scripturæ voculum
 ita explicant ut hujus cognitionis expertes minime haberi possint;
 nim. in בראשית dicunt mystica contineri, ita ut בן vel בר
 significet i. e. filium, רוח Spiritum S. אב Patrem, שם
 nomen, יהוה Jehovam, ה' perfectum, ut sensus sit;
 Filius, Spiritus, Pater, nomen Jehova perfectum. Cui congruit &
 illud quod de secunda voce בראשית tradunt בן significare
 filium, רוח Spiritum, אב Patrem. Simile proferunt
 de voce אמר dixit, ex Gen. 1. 2. seu אמר sermo (quæ conve-
 nit cum Chald. מִמְרָא epitheto Messiaë in V. T. Nam per
 mediam literam מ denotari volunt משיח Messiam, qui
 Mediator est, habens ab altera parte א h. e. אב Patrem, ab
 altera verò רוח spiritum, quia utriusq; personæ & Patris
 & Spiritus S. tum etiam suam essentiam & voluntatem
 nobis manifestat. Similia notant de vocabulo יהוה item
 de voce יה & aliis Vid. B. Gerh. Exeg. 1. 3. §. 23. seq. Ex his &
 similibus non quidem Trinitatis mysterium firmiter probari pot-
 est, cum sint meræ allusiones, nostrum tamen thema egregiè illu-
 strant. Nam si in minimis tam curiosi fuerunt veteres Judæi, ut
 tanta mysteria sub literarum figuris quæsierint, quantò magis
 ex perspicuis V. T. testimoniis eandem doctrinam eos cognovisse
 & credidisse verisimile est, adeoq; nullo modo negandum est V. T.
 fideles Trinitatis dogma cognitum habuisse.

XVII. Notetur quoq; XIII. *Gentilium scriptorum allegatio.*
Suidas de Trismegisto ita scribit: Mercurius Trismegistus i. e. ter maxi-
mus, is fuit Aegyptius. Floruit a. ante Pharaonem (alij rectius circa
tempora Mosis) Appellatus est ter maximus, quoniam de Trinitate edi-
dit oraculum (alij causam appellationis dicunt quia non modo
Philosophus summus, sed & sacerdos Aegyptius & Rex maximus
 D exstio

existit: vel, ut vult Steuchius, quoniam omne perfectum & omnibus numeris absolutum sic appellatur Græcis: ita enim Homerus perfectè beatos τρισυμμάκτας, valde impium τρισυμάχων dixit hinc Mercurius ob inauditum ingenium ac scientiam Termaximi nomen sibi acquisivit. *dicens in Trinitate unam esse divinitatem his verbis. Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale, & erat semper mens mentis luminosa. Et nihil aliud erat quam horum unitas & Spiritus omnia continens. Extra hunc non Deus, non Angelus, non substantia ulla alia. Omnium enim Dominus Pater & Deus & omnia sub ipso & in ipso sunt. Nam Verbum ejus perfectum existens & fecundum & opifex lapsum in fecunda natura & aqua fecunda prolificam fecit aquam. Idem serm. 1. Pimand. de Verbo à mente profluente, quod Dei Filium verbis apertis vocat; & in Asclepio de Spiritu S. seu Deo ignis ab utroque procedente disserit. Hunc secuti sunt Plato, Orpheus, Pythagoras alijq;, quorum testimonia legantur ap. B. Gerb. Exeg. de de Trin. §. 30. & t. 1. Loc. de 3. Elohim. §. 73. B. Jac. Martin. in Exerc. Metaph. l. 2. Ex. 4. th. 9. Lud. Viv. de verit. fid. Christ. l. 2. c. 2. Mornaum lib. de verit. relig. Christ. c. 6. Mut. Pansam de osc. Christ. & Ebn. Phil. c. 36. aliosq;.* Quamvis autem gentilibus veram Trinitatis cognitionem ex his testimoniis neutiquam adscribere possimus, cum Hieron. Ep. 103. ad Paulinum scribat: *Verbum nescivisse doctum Platonem, ignorasse eloquentem Demostenem* (de verâ sc. & salutari, non de apparente τῆς λόγῳ cognitione ipsi sermo est, quâ de causâ immeritò Lorinûs hanc assertionem cuidam lapsui memoriæ tribuit) tamen quandam in verbis similitudinem deprehendimus. Hos autem loquendi modos non ex naturali intellectus lumine habuerunt, id quod Trismegisto Theodorus Zvinger. in theat. vit. hum. vol. 5. l. 4. p. 1311. tribuit: nam ad cognitionem Dei per creaturas ex naturæ lumine non aliter ducimur, nisi quatenus Deus est earum principium & causa. Non est autem earum principium & causa nisi per divinam suam virtutem omnibus tribus personis communem, ideò ex lumine intellectus naturali cognitionem consequi non valemus, nisi eorum, quæ Patri, Filio & Spiritui S. sunt communia, nequaquam verò ad distinctionem personarum cognoscendam pertingere possumus: sed potius hauserunt partim ex Scripturæ S. lectione, partim ex familiari cum Judæis conversatione:

sive

sive igitur hoc, sive illud asserueris, cognitionem eiusdem mysterii fidelibus etiam in V. T. tribuere cogaris. Nam si gentiles haberent hæc testimonia ex scripturæ lectione, quidni idem potiori jure diceremus de fidelibus illorum temporum, cum hi illuminatione Spiritus S. fuerint ornati, quâ illi destituebantur? nisi velimus asserere majorem lucem Spiritum S. in infidelibus, quàm in electis suis accendisse quod absurdum. Sin autem posterius velis assumere, & gentilibus ex conversatione cum Ecclesiâ quandam hujus mysterii notitiam adscribere, nullâ ratione eandem notitiam fidelibus in ipsâ Ecclesiâ viventibus denegare potes, adeoque manifestissimum est fideles V. T. mysterium Trinitatis cognovisse.

XIIX. Deniq; sententia nostra non parum corroboratur sive declaratur. XIV. *Ex Patrum orthodoxorumq; Doctorum testificatione.* Huc enim pertinent omnia dicta Patrum, quibus ex V. T. contra hæreticos Trinitatis articulum confirmant. Huc etiam ea referenda sunt quæ B. Luth. passim in suis scriptis præsertim in *Com. super Gen.* inculcat: Nam statim c. I. v. 26. confitetur S. *Patres in V. T. cognitionem Trinitatis habuisse. Itē eod. cap. Nobis, inquit, magna est consolatio, scire ista ab initio mundi sic significata esse, quod in divinis personalis sit pluralitas & tamē divina natura ac essentie unitas. Quod si quidam hæc non credunt, quid ad nos? Abraham vidit tres & unum adorat. Item Spiritus S. dicit: Et pluit Dominus ignem de cælo à Domino. Hæc verba etsi fanatici non intelligunt nec observant, tamen scimus esse verba non hominis temulentis sed Dei. Huiusmodi testimonia plurima passim exstant, quæ optimus vir Hilarius diligenter collegit. Quod si sunt obscura aut paritè firma videntur, impijs & in credulis sic videntur. Pius firma & satis clara sunt, quæ divinis literis prodita & ostensa sunt. Super c. XXXV. 7. In Heb. expresse dicitur quoniam ibi revelati sunt Dij, ac tales loci diligenter observandi sunt, quando scriptura loquitur de DEO pluraliter sicuti c. I. 26. *Faciamus. c. III. unus ex nobis. c. XI. Descendamus. c. XIX. Abraham vidit tres viros & dixit ad eos, Domine. Hæc loca valde insignia sunt. Testantur enim Patres habuisse eandem cognitionem & fidem de divinitate, quam nos hodie docemus. Et ineptum est objicere, quod nusquam in V. T. promulgata sit doctrina de Trinitate, cum ex tot testimonijs manifestum sit pios etiam tum statuisse pluralitatem persona-**

rum in divinis. Ad c. XLIX. v. 16. Diligenter observandum est quod loquitur Jacob de Christo Filio, qui solus est Filius seu missus, natus homo in tempore ex Maria virgine, non Pater, non Spiritus S. Disertè n. discernit tres personas & tamen addit: Benedicat pueris istis. Istud benedicere clare tribuit soli DEO. Non dicit benedicant pluraliter, nec repetit, sed conjungit in uno opere benedicendo tres personas, DEUM Patrum, Deum Pastorem & Angelum. Sunt igitur hi tres unus Deus & unus benedictor. Idem opus facit Angelus, quod Pastor & Deus Patrum. Ita hunc articulum Trinitatis probe cognitum habuerunt Patres, quem nos hodie docemus. Et Jacob in eadem & perfectissimâ fide & verbo incedit super omnes cælos. Non ego, inquit, sed Deus per os meum benedicit pueris istis, Deus Patrum, Deus Pastor & Angelus, ille trinus & unus benedicit. Intellexit igitur Jacob quod filius incarnandus & mittendus sit in mundum, quod sit crucifigendus & resuscitandus. Et si non tam clarè hæc pronunciat, sicut hodie docetur, tamen satis significanter dicit, & alij quoq; qui crediderunt hunc articulum non obscure intellexerunt Hæc. Luther. Notanter a. dicit non solos prophetas, non solos patriarchas, sed etiam alios, qui crediderunt, hunc articulum non obscure intellexisse, Et hoc est, quod præsentî disputatione demonstravimus, nim. credentes & fideles in V. T. articulum Trinitatis non obscure i. e. clarè satis & sufficienter intellexisse & cognovisse.

DEO Trinuni, Patri, Filio & Spiritui S. sit
laus honor & gloria in sempiterna secula,
Amen.

Th. 2. l. 23. lege^r, & l. 48. Ecclesiæ, th. 3. l. 49. dicitur l. 79.
Θεὸς πνεύματος th. 6. l. 67. quo th 7. l. 35. Levitæ th. 9. l. 18. appella-
tione, &c.

od
ho-
n.
ud
nec
um
eus
da-
da-
fide
os
ille
an-
lus.
ni-
ure
tas,
rti-
ita-

79.
pella:

05 A 603


ULB Halle 3
003 761 908


1577

AD







MYSTERIUM S.S.^{11/2}

TRINITATIS A FIDE.
LIBUS SUB VETERI TESTAMEN-
TO COGNITUM,

Adspirante S. S. Triadis Numine,

In Inclita Wittebergensium Academia,

SUB PRÆSIDIO

VIRI ADMODUM REVERENDI, AMPLISSIMI,

ATQUE EXCELLENTISSIMI,

DN. JOHANNIS SCHARFII,

SS. Theolog. Doctoris & Professoris Publici

celeberrimi, Alumnorum Electoralium Ephori,

Dn. Patroni, Præceptoris & Promotoris

sui omni animi submissione ætatem

colendi,

Propositum & propugnatum

à

M. JOHANNE Deutschman

SS. Theol. Stud.

die Martij boris matutinis

In auditorio majori



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typog.

ANNO MDC L.

